

NYMMVS TRIVMPHALIS

JOANNIS AB AVSTRIA: CVSVS

post expugnationem urbis Tunetanæ. Anno
Christi 1573.



Ioannes Austriacus navali, ad Naupactum, subnixus victoriâ Siculis rebus, ut & Italicis, optimè sese propecturum censuit, si, quantum posset per anni tempus, in Africa, ulterioreq; littore Numidarum (quæ regio opposita est Italiæ) locorum occuparet, quod hoc facto videretur ab Italiæ cogitatione Turcarum consilia, ad propriam curam defensionis conversurus. Invitaverant eundem ad illam expeditionem, præter superius dicta consilia, frequentes preces & adhortationes illius Amidæ, qui patrem Muleassem per summam perfidiam impietatemque & regno & oculis privârat; qui & ipse à Luzali ejectus è regno, ad Galatæ asylum confugerat: & in privatâ domo multos annos cum duobus filiis puberibus habitaverat. Hic propter eximiam cupiditatem recuperandi regni paterni (cum ægerrimè ferret vitam privatam pro regia magnificentia) sæpè sollicitaverat arma Christianorum per literas, invitaveratque ad illam expeditionem alacriter suscipiendam; ad quam profitebatur se magnum numerum equitum ac peditum esse habiturum illorum amicorum, qui Amidanæ partes tuerentur, & adversus Luzalis avaritiam & crudelitatem illas sequerentur. Pollicebatur præterea magnam commeatus & rerum omnium expeditioni necessariorum copiam; modò Christianorum arma sese tantum illis finibus ostentassent. His impulsus causis Austriacus ingenti comparatâ classe, omnibus rebus necessariis egregiè instructâ, in Africam trajecit, novoque triumpho nomen suum nobilitavit: Uticam cepit: Tunetum recuperavit: profugum regem restituit: munimentum inter Guleram Tunetumque condidit: præsidio firmavit: Amidam captivum cum filio in Siciliam transmisit, & illuc cum trophæo iterum